

1431 tegebatur, tam diu taciti delituere, quoad vigiles, jam sole pene exorto, ex suis stationibus abiissent: quas ubi desertas viderunt, scalis continuo admotis, in summum milites evadunt, firmanque præsidio murorum summities. Substitit ad tertium lapidem cum legione una Carmaniola, præmiseratque cum silentio expeditos pedites, qui quum mature affuissent, multi per scalas prius mœnibus admotas muros scandunt, illisque intra urbem translatis, mira celeritate ad unum desilientes, oppressa subito incurfu statione, proximam portam occupant: per eam alii admissi irruentium civium turbam modico negotio sustinent. Capta erat Cremona, si Carmaniola copias subsidio misisset: quo cessante, tanquam exploratum habuisset, insidias sibi ab hoste imminere, qui in urbe erant, paucis amissis, se ad suos recipere. Sunt qui tradant, occupatum semel locum, biduum a Veneto milite retentum: alii (quibus facilius accedo) octo horas tantum. Ea potiundæ urbis occasione manibus elapsa, Venetus Imperator (appetebat jam hyems, ac crebri imbres, qui per autumnum ingruerant, aliquanto annum inclementiorem fecerant) copias omnes in hyberna dimisit. In Liguria post Lauretani digressum res parum feliciter gesta. Nam ubi ad Rapallitanum finem male a Genuensibus est pugnatum, Barnabas Adurnus, trecentis equitibus a Monferrateni Duce acceptis, omnem fere occiduam Genuæ oram ad defectionem compulerat. Ad eos motus opprimendos Picininus missus, Adurno cum suo equitatu ad Navarum victo, nullum fuit crudelitatis genus, quod in miseros accolæ non ille exercuerit. Nam præter innumeros mortales, quos non uno prælio occiderat, eos etiam, quibus fortuna belli pepercerat, carnificibus trucidandos objecit. Ubi vero cædis satietas cepit, majores natu cum matronis, verendisque sacerdotibus hastæ subjecit. Inde in Monferratensem hostem movit, cui paucis diebus castella circiter triginta ademit.

*Picininus
Ligusticam
oram multis
cladibus as-
sigit.*

Lauretanus Præfectus, ubi primum Corcyram venit, ad Senatum scripserat, supplemento opus esse, & ut naves, quæ
pro-